

< LIBER VII >

QUAESTIO < I >

UTRUM OMNIA QUAEEVENIUNT, DE NECESSITATE EVENIANT

Ens multipliciter dictum etc.

Consequenter quaeritur utrum omnia eveniant de necessitate, ita quod 5
quaecumque sunt nunc et quaecumque fuerunt, necessarium fuerit ea
evenire antequam forent; et similiter quaecumque futura sunt, necessa-
rium sit ea evenire. Sic quaero utrum omnia de necessitate eveniant.

Et arguitur quod sic multipliciter. Effectus non evenit nisi ex causa 10
respectu cuius suum esse est necessarium. Si ergo aliquis effectus nunc
evenit, non evenit nisi a causa respectu cuius suum esse est necessarium.
Et iterum illa causa, si sit effectus alterius causae, non evenit nisi a causa
necessaria ad talem effectum, id est, a causa respectu cuius suum esse erat
necessarium. Et sic, secundum connexionem causarum procedendo,
videtur quod omnia quae eveniunt, de necessitate eveniunt. 15

Et declaratur ratio ista sic: Nam quod non eveniant de necessitate 20
quaecumque eveniunt, non dices quod sit propter aliud nisi quia
quaedam causae sunt quae producunt suos effectus non semper sed ut in
pluribus, cum sint natae impediri a productione suorum effectuum. Et
ideo non omnia de necessitate eveniunt. 20

Sed hoc non obstante, quod quaedam sunt causae a quibus aliqua
eveniunt ut in pluribus, omnia eveniunt de necessitate. Probatio:
Quoniam causa illa quae erat causa sui effectus ut in pluribus, accepta
sub dispositione illa in qua non impedita, ipsa, ut sic accepta, necesse est
quod effectum producat et causet. Et non tantum nunc, sic accepta, 25
necesse est quod causet suum effectum, immo semper, ipsa posita sub tali
dispositione, causabit suum effectum; et non aliquando sic et aliquando
non, sed semper, sic accepta, causat effectum. Nunc autem effectus qui
evenit a causa non evenit ab ea nisi cum accipitur sine impedimento, ita
quod non sit impedita. Si enim esset impedita, non eveniret effectus ab 30

4 Ens] Supra 7^m librum *add. marg.* 9 ex causa] *marg.*

4 ARISTOTELES, *Metaph.*, VII, 1 (1028 a 10). Ce lemme tiré du livre VII introduit une
question suscitée par un passage du livre VI. Voyez, à ce propos, DONDAINE-BATAILLON, p.
198-199. Pour le reste du livre VII, la marge supérieure du recto de chaque folio continue à
porter le nombre 6.

ea. Et ita, non obstante quod quaedam sint causae ut in pluribus suorum
effectuum, omnia quaecumque eveniunt, de necessitate eveniunt.

2 Praeterea, si aliquis effectus sit futurus, ita quod evenire debeat,
tunc aut in praesentibus, id est, in his quae sunt praesentialiter, habet
35 causam non impeditam, aut habet impeditam. Si habeat causam non
impeditam, tunc necesse est ipsum fore ex ea, ut nunc declaratum est. Si
autem habet causam impeditam, tunc ex ea non eveniet *b*, id est, ille
effectus. Ergo, supposito quod eveniat ille effectus a sua causa, necesse
est ipsum fore vel evenire ex ea. Ita quod ergo quaecumque futura sunt, si
40 debent evenire, necesse est ea fore, sive in praesentibus ponas
< causam > impedibilem sive causam non impedibilem, ut ostensum est.

3 Praeterea, sicut vult ARISTOTELES in *VT^o huius*, si aliquis effectus
habeat in praesentibus causam quae non potest impediri a productione
sui effectus, tunc necesse est effectum illum fore ex illa causa: ut quia iste
45 vivens in se habet causam mortis naturalis quae non potest impediri,
scilicet quia compositus est ex contrariis, ideo hunc viventem moriturum
necesse est mori, scilicet sua morte naturali, cuius compositio talis
contrariorum erat causa non impedibilis. Nunc autem omnis effectus,
quicumque sit ille, in praesentibus habet causam talem quae nullo modo
50 impediri potest a sua causalitate, scilicet divinam providentiam. Divina
enim providentia causa est omnium quae eveniunt, et ipsa impediri non
potest. Ergo omnia quae eveniunt, necesse est evenire.

4 Praeterea, hoc est arguere auctoritate BOETHII in *De consolatione*.
Sentit enim ipse quod quaecumque eveniunt, necesse est evenire, sicut
55 plane innuit in illo dicto quando dicit, fatum est quod «ab immobili
providentiae», etc.

5 Praeterea, hoc arguitur ex praescientia Dei; aliud enim est Dei
providentia et Dei praescientia. Unde arguitur sic: *b* | est praescitum a f. 104^{ra}
Deo fieri; ergo *b* necessarium est fieri. Probatio: Nam quandocumque
60 condicionalis aliqua est vera cuius antecedens est necessarium, oportet
consequens etiam esse necessarium. Nunc autem haec condicionalis est
vera: Si *b* praescitum est a Deo fieri, *b* fiet. Et antecedens eius
necessarium est, quia impossibile est aliter esse quin *b* sit praescitum a
Deo. Ergo consequens necessarium est, scilicet quod fiet *b*. Ergo
65 necessarium est fore, si debeat fore. Nunc autem omnia sunt talia, sicut *b*
respectu praescientiae divinae, quaecumque eveniunt. Ergo quaecumque
eveniunt, de necessitate eveniunt.

34 tunc] nunc *scr. sed marg. corr.*

42 ARISTOTELES, *Metaph.*, VI, 3 (1027 a 29 - b 10).

53 BOETHIUS, *De consolatione philosophiae*, IV, prosa 6, 16, C.S.E.L. 67, 98, 11-14.

Oppositum expresse vult COMMENTATOR supra *VI^o huius*. Dicit enim quod hoc, scilicet «omnia quae eveniunt necessarium esse fore», est contra sensum et intellectum. Et dicit: et non est hoc sicut in exemplis legalibus dicitur quod omnia sunt scripta in tabula et necesse est omnia illa evenire.

2 Praeterea, hoc expresse vult ARISTOTELES in *eodem VI^o*. Dicit enim quod, quamquam in praesenti factum est aliquid <quod> a sua causalitate impediri non potest et a quo sit effectum suum necessarium fore, ut in hoc vivente factum est aliquid, scilicet compositio ex contrariis; ex qua necesse est vivens mori, scilicet morte naturali, tamen in praesenti non est factum aliquid in hoc vivente propter quod necessarium sit hoc vivens mori violentia aut infirmitate. Et dato quod violentia moriatur, tamen hoc non fuit necessarium, antequam esset, ex aliqua causa facta in praesenti. Hoc expresse dicit in littera, si quis attendat ad suam litteram. Ergo vult ARISTOTELES quod non quaecumque eveniunt sic eveniunt, quod necessarium esset ea fore antequam essent.

3 Praeterea, hoc ARISTOTELES etiam vult in libro *Perihermenias*. Vult enim ibi quod in altera parte futuri contingentis, vel in altera parte contradictionis de futuro contingenti, ut navale bellum fore cras vel non fore, non est veritas, ita quod sit verum dicere quod navale bellum erit cras. Et sic etiam dico de negativa parte, navale bellum non fore cras. Hoc ipse expresse vult. Ex hoc tunc ego arguo: Si omnia quaecumque eveniunt sic evenirent quod necessarium esset ea fore antequam essent, re vera et indubitanter in altera parte contradictionis de futuro contingenti esset veritas, quoniam non ex alio dicit ARISTOTELES quod non est veritas in altera parte de futuro contingenti nisi quia neutram partem necessarium est evenire. Ergo etc.

4 Praeterea, sicut etiam ARISTOTELES ibi dicit, si omnia evenirent de necessitate, vel a casu vel a fortuna, tolleretur ratio arbitrii, tolleretur consilium nostrum et omnis nostra ratiocinatio tolleretur, etiam et retraheretur homo ab omnibus actibus bonis. Haec autem omnia sunt inconvenientia et contra sensum. Ergo omnia non de necessitate eveniunt.

Dicendum et imprimis intelligendum est quod necessitas quaedam

86 de] *sup. lin.* futuro] *de add.*

68 AVERROES, *Metaph.*, VI, com. 7 (fol. 151 B-C).

73 ARISTOTELES, *Metaph.*, VI, 3 (1027 a 29 - b 10).

84 ARISTOTELES, *De interpretatione*, 9 (19 a 23 - b 4).

95 ARISTOTELES, *De interpretatione*, 9 (18 b 31-32).

impossibilitas aliter se habendi est. Impossibilitas autem aliter se habendi quaedam immobilitas est. Immobilitas autem quaedam sempiternitas est. Ita quod secundum hoc 'necessarium', 'impossibile aliter se habere', 'immobile', 'sempiternum' convertuntur. Ita quod omne necessarium, eo modo quo necessarium, est immobile et sempiternum; et omne quod est immobile, eo modo quo est immobile, ipsum est necessarium.

Propter quod in diversis diversimode reperitur ratio necessarii. Nam in separatis a materia verius reperitur ratio necessarii quam in non separatis a materia, eo quod ibi verius reperitur ratio immobilitatis, nam illa penitus sunt immobilia et universaliter. Adhuc tamen in eis verius dicitur ratio necessarii de eo separato a materia, quod causam penitus non habet; in solo enim ipso simpliciter salvatur ratio necessarii, quia et immobilitatis. In aliis autem separatis a materia, quae causam habent, non est ita vera ratio necessarii sicut in Primo, quia nec ratio immobilitatis, cum hoc habeant ex priore causa.

In caelo autem, quia ibi reperitur quaedam mobilitas, puta quantum ad motum, hoc modo quia, aliquo corpore caelesti in tali ubi vel situ existente, non semper est ibi, sed potest aliter se habere quia potest esse alibi; et ideo quantum ad hoc non est ibi necessitas, quia non est necesse, sole existente in tali situ, ipsum esse in illo situ, quia possibile est aliter se habere. Quia tamen in motu caeli vel corporum caelestium, quaedam immobilitas est quantum ad hoc quod ille motus est uniformis et regularis, ita quod moventur corpora caelestia tali motu quod impossibile est ea aliter vel alio motu moveri quam illo, ideo ibi, quantum ad hoc, necessitas reperitur.

In istis autem inferioribus adhuc reperitur ratio immobilitatis. Haec enim immobilitas consistit in quibusdam quantum ad hoc quod semper operantur vel agunt eodem modo. Cuiusmodi immobilitate se habent aliquae causae hic inferius ad suos effectus, quia semper, ipsis positis, necesse est poni suos effectus fore, eo quod non sunt impedibiles. Et ideo etiam in eis est quaedam necessitas iuxta illam immobilitatem.

Adhuc etiam alia quaedam ratio immobilitatis ab ista reperitur in quibusdam istis inferioribus. Quia in connexionione causarum, acceptis causis in illa dispositione ut non sunt impeditae, ipsae sic immobiliter se habent tunc ad suos effectus, quod scilicet, ipsis causis semper sic in tali dispositione acceptis, causant suos effectus. Et non habet hoc se aliter, immo eodem modo, quia semper causa, posita in illa dispositione in qua non impedita, non tantum tunc causat suum effectum; immo et alias ipsa

12 separato] quod *exp.* 25 illo] *et add.*

sic posita, et semper, quodcumque sic posita fuerit, causat suum effectum. Non dico quod illa immobilitas sit ibi quia talis causa non est impedibilis. Immo, si ipsa sit impedibilis, dum tamen sic accipitur ut non impedita, ut quia deficiat agens impediens et removens eam a motu, quo motu debet producere suum effectum, immobilis est quantum ad hoc, quia semper causat tunc suum effectum. Et hoc modo etiam ibi est quaedam necessitas iuxta illam immobilitatem, ita quod accepta etiam nata impediti, in illa dispositione in qua non impedita, necesse est quod causet suum effectum.

Et quicumque credit oppositum huius, provenit ex sua ignorantia. Immo ponit quod nulla causa sit quae umquam causet suum effectum. Nisi enim, cum sic accepta est causa, scilicet ut non impedita, necesse esset quod causaret suum effectum, numquam illum effectum causaret; nam cum impedita est non causaret eum. Unde hoc vult AVICENNA expresse quando dicit quod omnis effectus respectu suae causae necessarius est. Hoc etiam expresse vult ARISTOTELES in *VIII^o Physicorum* quando dicit quod, agente seu movente existente in tali dispositione in qua natum est movere, et mobili existente in tali dispositione in qua natum moveri, necesse est hoc movere, illud vero moveri.

Sed quid dices ad quaestionem: Eveniuntne de necessitate illa quae eveniunt a causis non impeditis? Ita quod, quacumque causa accepta, sive impedibili sive non impedibili, ex quo effectus non provenit a causa nisi cum fuerit accepta ut non impedita, ut ratio ista docuit, quaeram utrum ea quae eveniunt, de necessitate eveniant, id est, utrum ea quae eveniunt a causis non impeditis, et ut acceptis in illa dispositione, scilicet ut non impeditae sunt, de necessitate eveniant.

Dico quod non quaecumque eveniunt a causis ut sic etiam acceptis, scilicet ut non impeditae, de necessitate eveniunt. Et huius probatio est ista: Nam ex hoc quod aliquid non movetur actu, ut quia deficiat movens quia non sit praesens, non ex hoc debet dici istud immobile, quamquam non moveatur nunc actu propter defectum moventis, eo quod de ratione sua est mobile.

Tunc ulterius procedo. Quamquam aliqua causa accepta sic, scilicet ut non impedita, propter hoc quod deficit impediens, quia impediens eam non est praesens ut moveat eam a motu quo producit effectum suum, ex

40 quodcumque] *marg.* 59 Sed quid dices] Quaerit ad quaestionem *add. marg.*
66 Dico quod] Solvit *add. marg.* 72 Tunc ulterius] Nota exemplum declarativum optimum *add. marg.*

53 Cf. AVICENNA, *Metaph.*, tr. I, c. 6, p. 46.
55 ARISTOTELES, *Physic.*, VIII, 1 (251 b 1-5).

hoc tamen connexio et habitudo talis, scilicet talis causae, etiam sic acceptae, ut non impeditae ad suum effectum, non debet dici immobilis, eo quod talis causa de sui ratione habet quod possit impediti a motu suo quo producit effectum suum. Et quamquam ipsa, sic accepta, semper causet suum effectum, propter hoc quod deest agens contrarium, ex hoc tamen non debet dici immobilis, scilicet a tali motu quo producit effectum suum. Immo stat quod ipsa sit mobilis a tali motu quo ipsa producit suum effectum; tunc, cum sic accepta est, ut scilicet non impedita, et quod semper sic accepta, scilicet ut non impedita, causet suum effectum, ut visum est. Et si sic, tunc etiam stant ista duo: quod ipsa, sic accepta, semper causet suum effectum; et quod tamen de necessitate, etiam sic accepta, non causet suum effectum, vel quod effectus de necessitate non proveniat ex ea, etiam sic accepta, sicut iam apparet, quia necessarium et immobile convertuntur.

Sed dices: hoc quod tu nunc dicis videtur contradicere ei quod prius dixisti. Nam prius dixisti quod causa, sic accepta ut non impedita, semper causat suum effectum, et immobiliter se habet quantum ad hoc, quia semper causat. Ergo necesse est tunc ex ea, sic accepta, effectum provenire; quod contradicit ei quod nunc dicis.

Et dico quod ipsa, sic accepta, scilicet ut non impedita, quamquam semper causet suum effectum, non propter hoc dicemus quod ex ea, sic accepta, necessario proveniat effectus; sed potius dicemus quod necessario provenit, non absolute, sed necessario provenit contingenter. Unde non dicam, quamquam effectus non proveniat ex causa nisi cum fuerit accepta ut non impedita, et quamvis tunc semper causet effectum, cum scilicet sic fuerit accepta, tamen non propter hoc de necessitate absolute ex ea, sic accepta, provenit effectus, quia causa illa de ratione et natura sua impedibilis potest esse; ut si sit causa ut in pluribus, illa de sui natura impedibilis est, et, quamquam accepta ut non impedita, producat effectum. Sed dicemus quod tunc ex ea, sic accepta, necessarium est provenire effectum contingenter et modo quo possibile est aliter se habere.

Nam et haec est providentia divina. Sic enim Deus providit talibus effectibus ut sic ex suis causis provenirent: quibusdam ut absolute ex suis causis necessario provenirent, quia causae eorum impedibiles non sunt, quibusdam autem sic quod provenirent ex suis causis, non simpliciter ex necessitate, sed contingenter, ut quia causae eorum impedibiles sunt. Ergo de talibus verum est dicere quod necesse est eos evenire contingen-

89 Sed dices] Arguit contra se *add. marg.* 94 Et dico] Solvit *add. marg.* 7 Nam et haec] Nota *add. marg.*

ter ex suis causis, etiam sic acceptis ut non sunt impeditae. Nam aliter numquam dares quod evenirent, nisi acciperes causas eorum ut non impeditas. Quia tamen impeditibiles sunt, quamquam tunc non sint impeditae propter hoc quod deest agens contrarium, non est dicendum quod simpliciter sit necessarium eos evenire ex suis causis, sed eos evenire contingenter bene est necessarium. Sic enim Deus providit.

Sic etiam intelligit AVICENNA quando dicit quod omnis effectus respectu suae causae est necessarius; id est, quia omnis effectus necesse est quod proveniat ex sua causa, sic accepta ut non impedita, sicut Deus providit. Etiam necesse est quod, si debeat evenire effectus, quod eveniat a causa quae sit non impedita; sed quamquam sit non impedita, non propter hoc necessaria est etiam tunc ad suum effectum, sed contingens potest esse et aliter se habere. Sic etiam intelligit ARISTOTELES. Non ergo contradicunt illud dictum et istud, ut visum est.

Sed advertendum quod multum differt aliquid evenire de necessitate primo modo, scilicet quia evenit a causa quae non tantum est non impedita, immo etiam non est impeditibilis, et quod aliquid eveniat de necessitate (si necessitas potest dici quod proprius dicitur contingentia), eveniat dico ex causa quae, licet non sit impedita, est tamen impeditibilis. Id est, differt aliquid evenire de necessitate simpliciter et aliquid evenire ex causa de necessitate contingenter et modo possibili aliter se habere. Quia aliquid evenire de necessitate primo modo tollit, circa illud quod sic evenit, arbitrium et consilia nostra, eo quod nihil prodesset consiliari aut negotiari ut eveniret eius contrarium, ex quo habet causam non impeditibilem. Quomodo enim medicus posset tantum apponere medicamen in hoc vivente quod ipsum aliquando non moreretur morte naturali? Non posset umquam hoc facere medicus nec aliquis alius homo, cum causa talis mortis in hoc vivente sit non impeditibilis. Et ita etiam omnia evenire de necessitate isto modo esset inconveniens et retraheremur ab omnibus actibus nostris bonis et etiam malis, ex quo necessarium esset eos evenire, et non possent impediri per consilia vel per aliquas nostras negotiationes.

Sed aliquid evenire de necessitate secundo modo, scilicet ut dictum est, non tollit circa illud consilium nostrum nec negotiari, eo quod evenit a causa impeditibili. Et ita per nostra consilia et per nostrum negotiari posset impediri et non evenire. Sicut, licet comestio calidorum, absolute accepta, non causet mortem in isto violentam, quia impediri potest,

27 Sed advertendum] Notabile add. marg.

19 Cf. AVICENNA, *Metaph.*, tr. I, c. 6, p. 46.

tamen ut non impedita est, scilicet vel medicamine vel aliquo alio agente contrario, causat effectum, | scilicet facit hunc mori violentem. Et de necessitate non simpliciter, sed de necessitate causat ipsum contingenter, id est, modo quo possibile est aliter se habere, quia sic ordinata est in suum effectum quando producere debet eum, scilicet ut contingenter producat eum, et semper sic eum producat. Et non tollit haec sempiternitas et haec necessitas rationem nostri arbitrii vel consilium nostrum, nec propter hoc retrahemur ab actibus nostris.

Et ideo, quia isti duo modi eveniendi aliquid de necessitate ex suis causis non sunt idem, sed multum differunt, sicut visum est, quidam, qui non distinguebant inter primum modum et secundum, in diversos errores inciderunt. Et vidi aliquos ex hoc in duos errores incidere.

Primus modus est quia, non distinguentes inter primum modum et secundum necessitatis, dixerunt quod, causa posita in illa dispositione in qua non est impedita, non est necesse aliquo modo quod causet suum effectum. Et hoc est contra AVICENNAM et ARISTOTELEM; et quia numquam aliter dabunt quod producat suum effectum.

Alius modus est quia, non distinguentes inter primum modum et secundum necessitatis, (si necessitas potest dici), devenerunt ad hoc quod omnia evenirent de necessitate ex suis causis non impeditis; quaecumque eveniunt ex causis non impeditis, ex hoc quod eveniunt ex causis non impeditis, tollitur ex hoc consiliari et omne nostrum negotiari et omnia quae diximus. Et hoc falsum est, et est error, ut visum est, quia aliquid evenire de necessitate ex causa non impedita secundo modo non tollit negotiari nec consiliari.

His visis, tunc ad rationem in contrarium respondendum est.

Ad evidentiam huius, utrum omnia quae eveniunt, eveniant de necessitate, ita quod quae sunt et fuerunt necesse esset fore antequam essent, et quae futura sunt necessarium sit fore vel non, sex per ordinem consideranda sunt.

Primum est quod omnis effectus qui evenit a causa, aut evenit a causa necessaria (id est, non impeditibili), aut evenit a causa quae non est causa sui effectus semper sed ut in pluribus, (et haec est nata impediri), aut evenit a causa per accidens, quae non est causa illius effectus nec semper nec ut in pluribus, sed per accidens et raro. Hoc primo considerandum est.

58 quidam] Opinio et error quorundam add. marg. 66 Alius modus] Improbatio eorum add. marg.

74 His visis] Notabilia multa in crastina die ad solutionem quaestionis add. marg.

Secundum quod considerandum est, est aliquid quod commune est 85
 omnibus istis tribus causis et est istud: quod omnis causa, quaecumque
 sit illa causa, posita in tali dispositione in qua nata est producere suum
 effectum, semper quandocumque sic ponitur, causat suum effectum. Et
 hoc est adeo necessarium quod qui hoc negat, ponit effectum contingere
 sine causa. Nam si causa aliqua posita in dispositione illa in qua habet 90
 esse causa in actu sui effectus, causet nunc suum effectum, alias tamen
 posita sic, non causet suum effectum, cum primus effectus causabatur
 ab ea sic posita, non proveniebat effectus a sua causa, (quia postea alias
 sic et eodem modo posita, et habens omnia quae prius habebat, non
 causabat); dicis quod non est causa eius cum non causet eum tunc, ergo 95
 nec prius erat causa eius cum effectus proveniebat. Et ita dabis effectum
 contingere sine causa, nisi concedas praedictam propositionem. Unde
 manifesta est homini intelligenti, et concessa est per AVICENNAM et
 ARISTOTELEM et alios philosophos. Hoc est secundum quod consideran-
 dum est. 00

Tertium quod considerandum est, est istud: quod tria sunt quae eadem
 via eodem modo, penitus coartant et ligant effectus futuros ad eventum.
 Unum est providentia divina; secundum est connexio causarum < seu >
habitus causarum praesentium, id est, habitus causarum secundarum.
 Et quod ista duo eodem modo, et non plus unum quam aliud, coartent 5
 effectus futuros ad eventum, patet. Nam providentia divina est causa
 universalis, immo universalissima, et non causat effectus futuros nisi per
 causas secundas. Ergo, si per causas secundas coartat effectus futuros ad
 eventum, tunc, sicut causae secundae se habent, et qua via, ad effectus
 futuros evenire, sic oportet quod providentia divina faciat effectus illos 10
 evenire et non aliter. Nam si aliter, tunc per causas secundas eos non
 produceret. Eodem ergo modo ambo illa effectus futuros coartant ad
 eventum, quia, si secunda causa necessariam habitudinem habet ad
 effectum suum simpliciter et non impedibilem, sic et providentia divina
 facit effectum illum evenire. Et si habet causa secunda quod sit causa 15
 effectus non semper sed < ut > in pluribus, sic providentia divina causat
 ipsum ea necessitate, et sic ulterius. Tertium < est > quod eodem modo
 coartat eos sicut ista est quia omnia quae fient, aut fient ex causa
necessaria et non impedibili, aut fient ex causa ut in pluribus et
impedibili, aut fient ex causa per accidens et raro. Et hoc eodem modo, et 20
 non aliter, artat et ligat effectus futuros, sicut duo praedicta, ut visum est.

88/89 Et hoc est] Notandum *add. marg.* 92 cum] tunc *scr.* 94 habens] habenti *scr.*
 95 ergo] Notandum *add. marg.* 2 eventum] effectum *scr.*

Quantum quod considerandum est, est istud: quod causa alicuius
 effectus futuri, accepta per se solam, non habet unde sit causa in actu
 ipsius effectus; sed accepta ipsa in dispositione illa in qua nata est esse
 25 causa effectus, habet unde sit causa in actu. (Dico vel immediate vel per
 medium, et per medium vel per plura media vel per unum tantum; sic
 accipio nunc 'causam in actu'). Et hoc quantum probo ex duobus. Primo,
 quia si causa accepta per se solam haberet unde esset causa in actu sui
 effectus, iam providentia divina produceret effectus suos sine causis
 30 intermediis; ex quo ipsa per se solam esset causa effectuum futurorum, et
 non cum causis secundis accepta. Hoc tamen est falsum: non enim
 producit eos nisi per causas secundas. Iterum, hoc probatur ex alio: quia
 si causa, per se solam accepta, haberet unde esset causa effectus, tunc
 causa in potentia, cum non sit in potentia nisi quia non accipitur cum alio
 35 quod facit eam in actu causam, produceret effectum; aut dabis quod
 numquam producatur effectus, cum tunc, cum est in potentia, non possit
 producere ipsum. Et tamen secundum te, habet tunc unde sit causa in
 actu. Ergo numquam effectus producet.

Quintum quod considerandum est, est istud: quod omnis effectus
 40 futurus habet causam in actu in praesentibus, (in actu dico vel per
 medium vel sine medio), ita quod in ipsa connexione praesentium est
 causa in actu (mediate vel sine medio intelligas) quae est causa ut
 determinate eveniat altera pars contradictionis cuiuslibet effectus futuri
 imaginati. Cuius probatio est: Quia si esset aliquod futurum quod in tota
 45 connexione causarum non haberet causam in actu, id est, causam quae
 determinata esset ad alteram partem contradictionis illius futuri, tunc
 numquam aliqua pars illius futuri eveniret. Unde etiam, nisi providentia
 divina providisset alteram partem contradictionis determinate ut eveniret
 vel non eveniret alterum determinate, numquam illud eveniret. Omnis
 50 ergo effectus futurus in praesentibus habet causam in actu, (in actu dico
 vel per medium vel immediate). Sed non tamen omnis effectus futurus
 habet in praesentibus eandem causam in actu et eiusdem naturae. Sed
 quidam effectus habent in praesentibus causam in actu non impedibilem,
 quidam autem causam impedibilem et ut in pluribus; quidam autem
 55 causam per accidens. Hoc est ergo quintum.

Sextum quod considerandum est, est istud: quod licet omnis effectus
 futurus habeat in praesentibus causam in actu, in tota etiam connexione
 causarum habeat causam quae est causa in actu ut determinate eveniat
 altera pars contradictionis cuiuslibet futuri, tamen non propter hoc

28 esset] esse *scr.* 30 solam] sola *scr.*

f. 104^{vb} omnis effectus qui evenit a sua causa evenit ab illa causa de necessitate. 60
 Dico 'de necessitate' secundum quod dividitur | contra contingentem,
 nam sic vel sic de necessitate bene evenit, ut tangebatur heri, scilicet vel
 de necessitate simpliciter, vel de necessitate contingenter, ut provisum est
 a Deo et ut se habet connexio causarum ad effectum ipsum.

Et quod propter hoc non sit de necessitate omnis effectus qui evenit a 65
 sua causa eveniens, probatur. Nam licet causa in actu, vel etiam causa
 accepta in dispositione tali in qua nata est producere effectum, semper
 (quandocumque fuerit sic posita) causet suum effectum, ex hoc tamen
 non debet dici quod causet suum effectum de necessitate, quia cum illo
 actu stat potentia ad oppositum illius: ut cum sedens est aliquis actu, stat 70
 potentia ad standum, licet non stet potentia ad standum quando stat: sic
 enim opposita essent simul et respectu eiusdem in eodem. Similiter, licet
 aliqua causa existente in actu, id est, in illa dispositione in qua non fuerit
 impedita, causa illa causet effectum et determinate alteram partem
 contradictionis illius futuri effectus, tamen simul cum ipsa est causa sic in 75
 actu, est in potentia ut alias non causet suum effectum. Licet non sit in
 potentia ut alias non causet suum effectum cum est non impedita, tamen
 cum hoc quod ipsa nunc, non impedita, causet effectum et sit causa
 determinata alterius partis contradictionis, stat potentia ut alias non
 causet suum effectum (non alias non impedita, sed alias simpliciter). 80
 Unde quod aliqua causa sit causa determinata alterius partis contradic-
 tionis et quod sit causa necessaria effectus, ista non sunt idem; immo
 diversa et ex diversis habet causa haec duo. Nam ad hoc quod determina-
 te sit causa alterius partis contradictionis, non exigitur plus nisi quod sit
 causa in actu et non impedita, ita quod ex hoc quod non impedita, causat 85
 alteram partem contradictionis. Sed ad hoc ut esse debeat causa necessa-
 ria ad effectum producendum, non tantum oportet quod sit non
 impedita, sed quod sit non impedibilis. Ergo iam manifeste apparet quod
 ex hoc quod in praesentibus sit causa determinata et in actu ad alteram
 partem contradictionis cuiuslibet futuri imaginati, (in actu, dico, mediate 90
 vel immediate), non oportet quod quicumque effectus evenit, quod de
 necessitate eveniat. Ita quod non tantum respectu unius causae determi-

71 stat] sedet *scr.* Cf. SIGERUS DE BRABANTIA, *De necessitate* ...: «... sicut dicit ARISTOTE-
 LES in *Primo Caeli et mundi*, ille qui sedet, dum sedet, habet potentiam ad standum. Sed qui
 sedet, dum sedet, non habet potentiam ad standum dum sedet.» J.J. DUIN, *La doctrine* ...,
 p. 32. Cf. etiam P. MANDONNET, *Siger* ..., II, p. 117. 74 alteram] iter.

70/71 Cf. ARISTOTELES, *De caelo*, I, 12 (281 b 15-18).

natae non oportet quod effectus eveniat de necessitate; immo etiam nec
 respectu totius habitudinis et connexionis praesentium vel causarum.

- 95 Et tu dices: Ex quo in ipsa habitudine et connexione causarum est iam
 causa in actu, quae determinata est ad eventum alterius partis contradic-
 tionis et talem causam habet in praesentibus omnis effectus futurus, ut
 dictum est, aliter effectus aliquis numquam contingeret, aut esset effectus
 sine causa, ergo omnis effectus qui evenit a causa, de necessitate evenit.
 00 Ista obviatio fatua est et hominis non intelligentis. Nam, sicut dixi, ex
 hoc quod causa est in actu et determinata ad alteram partem contradic-
 tionis, in illa dispositione in qua nata est esse causa in actu effectus, non
 dicitur causa necessaria, nec dicitur effectus proveniens ab ea de
 necessitate provenire ex hoc ab ea; sed dicitur necessaria ex hoc quod
 5 non impedibilis. Et ex hoc dicitur effectus provenire de necessitate, non
 quia proveniat a causa non impedita, sed quia provenit a causa non
 impedibili. Et ideo, quamquam in connexione praesentium sit causa
 determinata et in actu ad eventum determinatae partis contradictionis,
 (sive sit in actu per medium sive non), non oportet quod omnis effectus
 10 proveniens, de necessitate eveniat, etiam ab illis causis in actu, nisi in ipsa
 connexione causarum esset quaelibet causa non impedibilis; quod tamen
 non est, ut ad sensum apparet.

Ulterius intelligendum, sicut tangebatur heri: quidam ex eadem radice
 inciderunt in duos errores. Unus error est, quia quidam voluerunt negare
 15 istam propositionem, quod omnis causa posita in tali dispositione in qua
 nata est esse causa in actu, necesse est quod causet effectum. Et dicebant
 quod non est vera; immo, quamquam nunc sic posita causet effectum,
 alias tamen posita eodem modo non necesse est quod causet effectum. Et
 in hunc errorem inciderunt ex hoc quia, timentes, si concederent hanc
 20 propositionem, quod oporteret eos ponere omnia quaecumque eveniunt
 de necessitate evenire, ita quod tolleretur omne consilium et libertas
 arbitrii, negaverunt eam.

Sed concedendo eam, ut manifeste vidisti, non propter hoc oportet
 istud ponere, nec quod tollatur libertas arbitrii, nec consilium, nec
 25 negotiari.

Alii autem, videntes primam propositionem esse veram et necessariam,
 inciderunt in alium errorem, scilicet quia, credentes ex veritate primae
 propositionis aliquid esse contra fidem catholicam, posuerunt quod
 omnia quae eveniunt de necessitate eveniunt, sic quod non oportet
 30 negotiari, etc.

95 Et tu dices] Arguit contra se *add. marg.* 00 Ista obviatio] Solvit *add. marg.*

13 Ulterius] Positio praedictorum. Magis haeretica. *add. marg.* 20 ponere] quod *add.*

Hoc etiam vidisti quod non oportet ponere, quamvis concedatur praedicta propositio esse vera et etiam necessaria. Non enim consiliamur, nec etiam negotiamur de aliquibus futuris effectibus et quia velimus impedire providentiam divinam, sed potius explere; nec etiam ut velimus impedire connexionem causarum ad effectum. Nam et hanc etiam 35 impedire non possumus, sic enim eam ordinavit providentia divina. Non etiam consiliamur vel negotiamur ut impediamus eventum vel non eventum illorum futurorum quae eveniunt a causis non impedibilibus. Quantumcumque enim medicus consilia et medicinas apponeret, vel aliquis alius, ut iste non moreretur morte naturali, non posset facere, 40 quoniam effectus ille habet in praesentibus causam non impedibilem, scilicet quia iste compositus est ex contrariis. Sed negotiamur et consiliamur de aliquibus futuris ut impediamus per nostra consilia et actiones nostras quasdam causas particulares quae sunt impedibiles, quas, si non impediremus a suis effectibus per nostra consilia et negotia, ipsae 45 producerent forte effectus aliquos malos super nos, quoniam, cum essent non impeditae, causarent effectus suos.

Verbi gratia, comestio veneni, si non impediatur, vel medicamine vel aliquo tali, causabit effectum in isto, scilicet mortem; tamen, si apponantur consilia et medicamina, impeditur, nec causabit mortem in isto. Hoc 50 autem non esset nisi fuisset causa impedibilis et quamquam, non impedita, causet effectum. Et similiter est de aliis causis consimilibus. Et ideo studendum est nobis ut fiamus boni, et ut removeamus per opera nostra et actiones bonas quasdam causas particulares a suis effectibus malis, quos effectus malos producerent in nobis et facerent nos malos, 55 nisi eas per nostra consilia bona et actiones nostras impediamus.

Et sic apparet quod, quamquam causa posita ut non impedita producat semper effectum suum quandocumque sic fuerit posita, quod propter hoc non de necessitate producit effectum, nec propter hoc tollitur negotiari nec consiliari, nec propter hoc retrahimur ab actibus bonis; 60 similiter nec propter hoc tollitur arbitrium. Et hoc apparet: voluntas enim qualiter dicitur libera? Planum enim est quod ipsa non dicitur libera sic, quia sit primum movens et primum principium actionis. Planum enim est quod oportet, antequam voluntas velit aliquid vel non velit, quod ipsa moveatur ab aliquo vel ex apprehensione alicuius, et ita, 65 ut ipsa moveatur, vel velit, vel non velit. Quandocumque vult sine aliqua apprehensione praecedente, in hoc voluntas non est libera. Sed cum iam mota est apprehendendo aliquid, libera est ut velit vel non velit illud; ita quod libertas eius non esset si nulla causa esset impedibilis, sed quia aliquae causae sunt impedibiles, ideo etc.

Ista ergo omnia quae dicta sunt, si recte intelligantur, omnia vera sunt. Et apparet ex dictis iam solutio rationum usque ad | ibi, scilicet ad illas f. 105^{ra} duas ultimas de providentia divina et de praescientia eius.

Et ideo dico ad primam illarum quod, quamquam providentia divina 75 infallibilis sit, tamen ex hoc non sequitur quod omnis effectus quem providit evenire a sua causa, eveniat de necessitate. Unde per illam rationem tu non quaeris nisi quid respondet infallibilitati providentiae divinae. Cum providentia divina sit impossibilitas quaedam aliter se habendi, quid respondet in rebus futuris isti impossibilitati aliter se 80 habendi? Et dico quod non respondet in rebus hoc quod est eadem necessitate evenire; sed duo alia respondent ei, scilicet quod ipsae res proveniunt a causis in actu existentibus et quod in praesentibus est causa in actu cuiuslibet effectus futuri.

Ad aliam rationem dicendum et eodem modo solvendum esset. 85 Quia, quamquam praescitum sit hoc a Deo, non propter hoc sequitur quod fiat de necessitate, sed sequitur quod de necessitate fiat sicut praescitum est a Deo. Nunc autem non est praescitum a Deo fieri de necessitate quidquid praescitum est ab eo fieri, sed aliquid praescitum est ab eo fieri contingenter. Ideo etc.

QUAESTIO <2>

UTRUM ALIA ENTIA A SUBSTANTIA HABEANT QUOD QUID EST

Consequenter quaeritur circa praesentem lectionem. Et quaeritur primo utrum alia entia a substantia habeant quod quid est.

5 Et arguitur quod sic. Nam qualitas habet quod quid est, ut albedo et nigredo, et sic de aliis praedicamentis a substantia. Quia, sicut homo habet suum quod quid est, vel aliqua alia substantia, ut animal, etc., sic et qualitas et quantitas habent suum quod quid est. Ergo etc.

Praeterea, nisi accidentia haberent quod quid est, non dicerent quale 10 aut quantum vel aliquid tale ipsius substantiae. Nunc autem dicunt accidentia quale aut quantum substantiae, ut dicit ARISTOTELES. Ergo habent quod quid est.

Oppositum dicit in littera, quod alia a substantia non dicunt quid, sed quale aut quantum, etc., sed sola substantia. Ergo etc.

72 ibi] usque ibi *scr.* 77 tu non quaeris] quaeris *scr.* sed *marg.* tu non quaeris *add.* 4 utrum alia] Dubium *add. marg.*

3 ARISTOTELES, *Metaph.*, VII, 1 (1028 a 10-20).

11 ARISTOTELES, *Metaph.*, VII, 4 (1030 a 17 - b 13).

13 ARISTOTELES, *Metaph.*, VII, 1 (1028 a 10-15).

PHILOSOPHES MÉDIÉVAUX

TOME XXIV

WILLIAM DUNPHY

PROFESSEUR À L'UNIVERSITÉ DE TORONTO
ET À SAINT MICHAEL'S COLLEGE

SIGER DE BRABANT

**QUAESTIONES
IN METAPHYSICAM**

ÉDITION REVUE DE LA REPORTATION DE MUNICH

TEXTE INÉDIT DE LA REPORTATION DE VIENNE

LOUVAIN-LA-NEUVE

ÉDITIONS DE L'INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE

1981